

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2996

**Auteur(s) :** Honorius III [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Le Bec-Hellouin, Notre-Dame (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1223, 10 mai

**Lieu d'émission :** Latran

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Bulle d'Honorius III, du 10 mai 1223.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Porée Adolphe-André (Chanoine), *Histoire de l'abbaye du Bec*, Évreux, Hérissé, 1901, 2 vol., t. 2, Appendice, n° III, p. 570-572.

Texte établi d'après a

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... abbati Boccensis monasterii ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem prebere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et Beccense monasterium in quo divino vacatis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Lucii et Eugenii predecessorum nostrorum Romanorum pontificum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones quecumque bona idem monasterium impresentiarum juste ac canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus vocabulis exprimenda. In Normannia in episcopatu videlicet Rothomagensi ipsam villam que Beccus vocatur, cum omnibus villis, ecclesiis et decimis, boscis, pratis, molendinis, piscationibus quas a fluvio Rille usque Rothomagum possidetis ; apud Rothomagum, cellam de Prato cum villa de Buris et Rannalmivilla, et Stiventuna que est in Anglia, cum omnibus ecclesiis, decimis et pertinentiis suis ; cellam sancti Laurentii de Evremou ; cellam sancti Martini de Augo. In Francia, in eodem episcopatu, cellam sancti Petri de Pontisera, cellam sancti Martini de Warena, cum omnibus ecclesiis, decimis et pertinentiis suis. In episcopatu Luxoviensi, cellam sancti Philiberti, cellam sancti Martini de Condeto, cellam sancti Lamberti, ecclesiam de Bevrum. In episcopatu Ebroicensi cellam sancte Trinitatis de Bello Monte. In episcopatu Carnotensi cellam sancti Nigasi de Mellento, terram de sancto Cosma. In episcopatu Parisiensi cellam sancte Honorine de Conflentio. In episcopatu Belvacensi villam sancti Albini. In episcopatu Ambianensi cellam de Canceio. In Anglia in episcopatu Norwicensi cellam sancti Johannis Baptiste de Clara, villas Wroteham, Lessingaham, Blacaham. In episcopatu Lincolniensi cellam sancti Neoti. In episcopatu Londoniensi Risleph, Duntunam. In episcopatu Wintoniensi Totinges, Cornelai, Anachisingeberi. In episcopatu Exoniensi cellam de Cuuich. In episcopatu Saresbiriensi villam de Duvrel. In episcopatu Cicestrensi villam de Prestteuna. In Wallia, in episcopatu Landavensi, cellam sancte Marie Magdalene de Golchiva, cum omnibus aliis

villis, ecclesiis, decimis et possessionibus ad predictas ecclesias et ad Beccense monasterium jure pertinentibus, salva moderatione concilii generalis. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia preponatur nisi quem fratres communi consilio vel fratrum pars majoris et sanioris consilii secundum Deum et beati Benedicti regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et diocesanorum episcoporum canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jhesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

(Roue renfermant les noms : Sanctus Petrus, Sanctus Paulus, Honorius, papa III, avec la devise : Perfice gressus meos in semitis tuis.)

Ego Honorius catholice ecclesie episcopus S.

(Monogramme figurant les mots : Bene valete.)

(Souscriptions autographes des cardinaux disposées sur trois colonnes. Au milieu) :

† Ego Pelagius Alban., episcopus S.

† Ego Nicolaus Tusculan., episcopus S.

† Ego Guido Prenestrinus, episcopus S.

(A gauche) :

† Ego Leo tit. Sancte Crucis in Jherusalem presbiter cardinalis S.

† Ego Guala Sancti Martini presbiter cardinalis tit. Equitii S.

† Ego Stephanus basilice Duodecim apostolorum presbiter cardinalis S.

† Ego Gregorius tit. Sancte Anastasie presbiter cardinalis S.

† Ego Thomas tit. Sancte Sabine presbiter cardinalis S.

† Ego Johannes tit. Sancte Praxedis presbiter cardinalis S.

(A droite) :

† Ego Oct. Sanctorum Sergii et Bachi diaconus cardinalis S.

† Ego Romanus Sancti Angeli diaconus cardinalis S.

† Ego Stephanus Sancti Adriani diaconus cardinalis S.

† Ego Egidius Sanctorum Cosme et Damiani diaconus cardinalis S.

† Ego Petrus Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis S.

Dat. Laterani, per manum magistri Guidonis capellani nostri, VI idus Maii, indictione XII, incarnationis dominice anno M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XXIII<sup>o</sup>, pontificatus vero donni Honorii pape III anno septimo.